

I. N. 3. C.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
PECCATIS
POST
MORTEM,

CUJUS PARTEM PRIOREM
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN REGIA AD
AURAM ACADEMIA,
PRÆSIDE

MAG. JOHANNES
BILMARK,

Histor. & Philos. Pract. PROFESS. Reg. & Ord.

Publico examini submittit

AUCTOR

HENRICUS JOH. WELONIUS,
Satacundensis.

In AUDIT. SUP. Die XXX Octobr. MDCCLXXVI,

H. A. M. C.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPH. FRENCKELL,
Reg. Acad. Typogr.

Viro Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,
D:^{no} M:^{ag.} GABRIELI
WELONIO

Docenti ad Regiam Hancce Academiam dexterrimo,
Nec non
Chorali Primario ad Ecclesiam Fennicam Aboënsẽ meritissimo,

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Si pauciores TIBI, Parens Indulgentissime, agam gratias, quam vel TUA benignitas vel mea in TE pietas postulet, defectum hunc partim magnitudini beneficiorum Tuorum mihi præstitorum, partim infantie meæ in dicendo ut adscribas, facilis potes exorari. TIBI enim, ut paucis multa complectar, debeo, non tantum quod vivam, sed etjam quod recte vivere possim. Nullis omnino sumtibus pepercisti, ut in virtutis atque eruditionis viã inoffenso pede progredi queam: Tuaque provida cura factum est, ut viã, quæ sentibus obsita aliis videtur, mihi plana grataque fuerit. In pignus igitur pietatis meæ nunquam intermoriture benigne excipias hanc meam dissertationem, studiorum meorum primitias, quam TIBI cernuus offero. De cætero nihil mihi prius, antiquius nihil erit, quam Supremum Numen assiduus desatigare precibus, velit TE, Parens Optime, omni felicitatis genere ornatum ad ultimos vitæ terminos, quos humana patitur conditio, conservare, ut Ecclesie & nostrum omnium commodis quam diutissime sufficias. Ita ex intimo pectore vovet

PATRIS INDULGENTISSIMI

Filius Obedientissimus
HENRICUS JOH. WELONIUS,



§. I.

Sicut, iudice TACITO, *virtus est proprium hominis bonum* (a); ita quum oppositorum opposita sit ratio, vitium est cuius homini, qui eidem sese mancipat, valde funestum. Consistit enim vitium seu peccatum in actionis moralis discrepantia ab illa lege, quam nobis tulit Supremus Legislator, Idemque cæli & terræ Monarcha; adeoque defectum quendam involvit, qui quantum a veræ felicitatis scopo nos abducit, tanto propius ad infelicitatis barathrum mortales deducit. Sed Deus vi exactissimæ, quæ in ipso eminent, justitiæ ferre non potest nequitiam hominis, quare unicuique sceleri convenientem adjunxit pœnam; adeo ut quo quis peccet, eodem & ipse plerumque puniatur. Sero quidem nunquam manifestantur judicia Divina, sed quæ tanto graviora esse solent. Fingamus enim quemcunque vitiorum operatorem, strenuum v. gr. Bacchi aut Veneris alumnium, animadvertemus, eundem sese valde cruciari, ut media malitiam impune patrandi inveniat, his autem ex sua opinione repertis, timide tamen vitio exercendo sese accingere, ne forte in flagranti detegatur delicto. Esto autem, quod prava ejus molimina semel iterumque ex voto succedant, ipso tamen exercitio redditur audacior, & simul imprudentior in flagitiis postmodum committendis. Potest igitur in suis sordibus aliquamdiu invenire, quod delectet, hoc autem illius oblectamentum

A

tum

(a) Vide TACITI Histor. Libr. IV; Cap. 17.

tum, num verum? num durable? Minime gentium: opibus enim dilapidatis, viribusque enervatis, vel miseram transiget vitam, aliis derisui, sibi que oneri futurus, vel in acutissimum morbum incidet, vel in desperationis rabiem conversus, prematuram sibi ipsi consciscet mortem. Qua de re multiplex experientia convicti etiam fuerunt Gentilium Philosophi. Quamobrem CICERO (b): *Sua quemque fraus, & suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque adfcit: Sua mala cogitationes conscientiaque animi terrent, hæ sunt impiis assidue domesticaque furia, quæ dies noctesque parentum penas a sceleratissimis filiis repetant.* Quibus consona sunt verba SENECAE (c): *sceleris in scelere est supplicium.* Quamvis vero de pœnis vitiorum naturalibus nemo amplius dubitet, dantur tamen homines perfrictæ adeo frontis, ut non expendant, quid liceat, sed vehementer sectantur, quid libeat, quorum si unum alterumve hac opella ad meliorem frugem reducere possemus, multum omnino nos adsecutos fuisse arbitraremur.

§. II.

Antequam ad ipsam materiæ propositæ tractationem accedimus, in antecessum juvabit paucis expendisse, quam abominanda res sit peccatum, & quantum illud a sana abhorreat ratione. Prodit homo non sua ipsius, nec aliorum sui similium opera, sed Dei Omnipotentis beneficio in theatrum hujus mundi, iis facultatibus ac dotibus, respectu tam animæ, quam corporis ornatus, ut si eisdem recte & juxta intentionem munifici Largitoris utatur, ad desideratam pervenire possit felicitatem. Opera nostra non indiget Creator, qui sibi est sufficientis-

(b) Vide Orat, pro Roscio Amer, Cap, 22, (c) Confr, SENECAE Epist, 97,

entissimus, nec per nos augmentum quoddam summæ, qua fruitur, felicitatis accipere potest; attamen ut per se Optimus, ita ex nostra felicitate, quam virtutibus confirmare & promovere possumus, magnum accipit oblectamentum, ideoque virtutum culturam nobis graviter præcepit. Sed proh dolor! apud plerosque turdas invenit aures, & corda pumice etiam duriora. Profecto vix facultatum suarum præstantiam animadvertent multi, quum instar papilionis, e nymphæ erumpentis & alas suas per æra extendentis, se sibi sufficere existimant, ideoque semetipsos idola sibi constituunt, motivaque actionum suarum non a Supremo Numine, a quo toti dependent, sed a seipsis, vel strictius a sua utilitate, commoditate ac voluptate desumunt. Quid vero homo, fama quantumvis magna rerum gestarum velut gloria circumdatus respectu Dei? Pulvis certe & humus cito fatiscens, respectu immutabilis Creatoris, & tamen hæc gleba præcepta Supremi Monarchæ ac Legislatoris negligere ac temere transgredi non dubitat, sibi victurus homo, dum integra est sanitas, ad Deum autem semet conversurus, & vitia deserturus, quum propter labefactam animæ & corporis constitutionem ab his deseritur. An vero quidquam iniquius cogitari possit, vel a sana ratione remotius? Indignamur servum, qui boni Patrisfamilias mandata segniter exsequitur, & detestamur mancipium, quod contra imperantem nova moliri audet, quamvis inter bina hæc correlata tota differentia dependeat a civili æstimatione: quid igitur magis horrendum, quam homo ferociter peccans, quippe qui rebellis est civis erga infinitum Deum. Quæ rationes si hominem a peccandi pruritu revocare non possent, sensus tamen felicitatis, cujus per naturam est studiosissimus ipsum, in præcipitio viciarum constitutum, sistere deberet, quippe experientia docet, quod vitia

faciant, ut homo felicitatem disperdat, vel saltem apparentem pro vera apprehendat. Immo aliter fieri non potest; homo quippe peccatorum cœno sese volutans, præstantissimas dotes sibi concessas magis magisque quotidie corrumpit, intellectus enim aciem obtundit, quare velut de Circæo bibisset poculo, singula aliter fere videt, quam sese reipsa habent. Quo quidem modo voluntas deinceps non exultæ rationis cynosuram sequitur, sed turbulentorum adfectuum oblectamentis in transversum rapitur; intereaque corpus etjam robustissimum sanitatis suæ jacturam facit. Quamobrem etjam Apostolus PAULUS graviter mōnet, quod *mors sit stipendium peccati*. Quisque igitur peccans, ad sensum dependentiæ suæ a Deo occalluit, felicitatemque suam negligit, quorum illud est maxime iniquum, hoc autem prorsus funestum.

§. III.

Peccati generaliter a nobis hactenus considerati fœditas magis adhuc adparet, si indolem trium vitiorum cardinalium, a quibus, tamquam e tribus venenatis fontibus, cætera omnia longa serie propullulant, nobis ante oculos ponamus. Sunt autem tria hæc, eademque principalia vitia, *Ambitio, Voluptas & Avaritia*, quatenus videlicet homines sese decipi patiuntur, specie vel *honesti*, vel *boni jucundi*, vel *suæ utilitatis*, juxta notissimos illos Baptistæ MANTUANI versus, *Ambitiosus bonos & opes & fœda voluptas Hæc tria pro trino Numine mundus habet*. Multi homines, etjam illi, qui cæteris erectioris habentur indolis, ad honoris apicem, tamquam ad certam felicitatis metam, velis remisque contendunt. Numi vero in honoribus genuina quædam felicitas? Dubito admodum, quum contrarium doceat multiplex

triplex experientia. Quis, quæso, quondam honoratior Se-
 jano? Sed quo die Senatus illum in Capitolium deductum
 summis maectavit honoribus, populus eum in frustra dis-
 cerpsit. Ita sæpe accidit, ut horæ tantummodo mo-
 mentum intercedat inter folium & aliena genua. Im-
 mo comprobatum est, quod magna fortuna sit magna
 servirus, & quod ingens potestas pluribus casibus, con-
 tinuis molestiis ac gravissimis periculis sit obnoxia, non
 aliter ac in magna sylva procerrimæ arbores a ventis
 quatiuntur vehementissime. Honores igitur non alios
 reddunt felices, quam qui vanitate pascuntur. Porro vi-
 ta voluptuosa, ut perquam felix & votis etjam expeten-
 da, multis salivam mover. Sed hi fere sunt, qui vi-
 vunt, ut edant, non edunt, ut vivant, non sine maxi-
 mo suo incommodo. Si enim in commestrationibus su-
 as delicias inveniat Voluptuosus, plura indies sumit,
 quam stomachus ejus concoquere valet; unde multa
 relinquuntur indigesta, quæ acutissimorum morborum ma-
 teriem præbent amplissimam. In Nosocomio autem quæ
 felicitas? Nec hoc solum, sed adfectus etjam per dapes
 nimis conditas in detrimentum hominum exæstuant. Si
 rursus Paridem imitetur voluptuosus, & formosas im-
 pense depereat Helenas, in his illegitimis ludis vires
 tam corporis quam animæ valde debilitari sentiet &
 senium ante ætatem ingravescere. Nec denique in o-
 pibus, quas sollicitè corradit avarus, quædam datur fe-
 licitas. Quid enim aurum, quod ut avarus possideat,
 conscientiæ suæ naufragium facere non dubitat, quid,
 inquam, aurum? Nonne terræ gleba, quam color &
 pondus distinguit, qua insuper nec ali corpus nostrum,
 nec tegi potest, quod etjam, si Chemice examinetur, o-
 mnium metallorum minime est utile. Attamen ut opes
 corradat avarus, nullis parcit curis, nullis vigiliis; quin
 & manifestis sese objicit periculis, ac suam prorsus ne-

gligit tranquillitatem. Paucis: avarus vivit, ut pauperimus, quo millionarius monstratur, dum vivit, & dives moriatur. Sed quæ major insania? Quum itaque tria modo memorata vitia capitalia, suis cultoribus sint funesta, omnis ratione sua utens, eisdem nuntium mittere deberet, præsertim quum quædam peccata ejus sint pravitatis, ut gravitatem imputationis etiam post mortem augere possint.

§. IV.

Hiscæ leviter præmissis, propius jam ad institutum nostrum accedimus, per *Peccata post mortem* intelligentes talia actionum momenta, quæ quidem a vivis hominibus patrata sunt, post horum autem decessum posteris superstitionibus vel incitamenta, vel occasionem peccandi præbent. Allatam vero appellationem non esse incongruam paucis ostendemus. In scholis etiam notum est, quod effectus alicujus causâ sit vel *transiens*, qui una cum causâ sua efficiente cessat, quorsum pertinent, sequentes actus humani, loqui, scribere, ambulare, & qui sunt reliqui ejusdem indolis; vel *permanens*, qui subsistit, cessante etiam causâ productrice. Sic scriptura diu superesse potest scriptori; sic etiam artifex construit horologium automaton, quod motus & oscillationes suas regulariter continuat longe post obitum artificis. Atque hoc posteriori sensu peccata etiam post mortem perennant. Quum enim per mortem omnes motus hominis vitales cessent, consequens est, ut nullæ post obitum existant actiones Physicæ. Enimvero quum causâ actionis esse possit vel Physica vel Moralis, doceantque Moralistæ, quod actio humana non minus huic vel illi causâ imputari debeat; Absonum non est, si homo in foro Divino reus postuletur actionum ab aliis patrata-

patratarum, quarum causa Moralis esse pergit, quamvis vitam cum morte dudum commutaverit, nisi idem ante finem vitæ hæc quoque peccata serio agnoverit, debitam eorum poenitentiam egerit, & per fidem in meritum Salvatoris remissionem eorundem obtinuerit.

§. V.

Enimvero quum luculentum sit Apostoli PAULI esatum in Epistola ad Romanos Cap. VI. 7. *ὁ γὰρ ἀποθνήσκων ἀδικήσας ἀπὸ τῆς ἀναγκῆς*, id est, *qui mortuus est, justificatus est a peccato*; tam gravi argumento commoti nonnulli urgebunt forte, nulla post mortem dari peccata. Nostri quidem instituti ratio non fert, ut varias diversorum Theologorum de Biblico hocce dicto nunc adferamus sententias, satis habentes, si genuinum ejusdem sensum pandere possimus. Cardo igitur rei in eo potissimum vertitur, ut dispiciamus, quamnam mors, aut qualis mortis status in allato loco intelligatur. Mortem naturalem heic proprie non indigitari, vel exinde patet, quod, si per talem mortem homo a peccatis justificaretur, nullus demortuus unquam condemnaretur, quæ tamen consequentia non minus rationi, quam revelationi e diametro repugnat. Quoniam vero allatus versiculus cum proxime antecedente per particulam *γὰρ* conjungitur, & Apostolus tam in illo, quam in præcedentibus, immo in toto capite loquitur de crucifixione & morte veteris hominis; ut novus exurgat, qui Deo gratus vivat, & in mandatis Ejus ambulet; quæ omnia non quadrant in hominem, qui naturalem subiit mortem; consequens est, ut Paulus in citato versiculo loquatur de tali morte, qua pravæ concupiscentiæ & irritamenta malorum suffocantur, contra vero ea serius propositum ad voluntatem Divinam ambulandi vivificatur

catur & confirmatur. Quem quidem sensum quum luculenter corroborarent sequentes versicali capitis modo citati, evidens est quod ex dicto hocce Paulino inferri nequeat, nulla dari post mortem peccata.

§. VI.

Dari peccata post mortem in triplici statu, *Ecclesiastico* videlicet, *Civili & Oeconomico*, succincte a nobis nunc erit ostendendum. In statu Ecclesiastico intempestiva adulatio, multorum verbi Divini Praeconum, nec non cunctis placendi studium faciunt, ut toti Deo displiceant, & peccata eorum etiam post mortem perennent. Sacerdotes Augusto omnino in terris funguntur munere. Sunt enim Dei legati, missi, ut Supremi Monarchæ nomine voluntatem ejus de agendis & fugiendis graviter & sine respectu vel personarum vel proprii commodi annuntient, ut probos ad virtutes exhortentur ac confirmet, malos autem, etiam in honorum culmine constitutos, convincant de pravitate vitæ suæ, atrocitatem peccatorum ipsis dilucide ante oculos ponendo, nec prius desistant, quam ad meliorem frugem ipsos deducant. Non suum igitur agunt negotium, sed Dei causam. Nemo fere est, qui hoc ignorat officium, at pauci tamen sunt, qui ea, qua decet, gravitate atque imperterritito animo munus sibi demandatum administrant. Testor experientiam, quæ docet dari subinde Sacerdotes, qui non solum nominatim in familiaribus concessibus, sed etiam ex suggestu haud obscure laudant & in exemplum proponunt eos, quorum vita minime est probata, & quorum forte præcipuum est meritum, quod in se vel supra quam meruerint liberales fuerint, vel etiam ad honorum gradus ipsos promoverint. Hoc autem modo gravissime peccant, nam & suam temere lædunt consci-

conscientiam, & laudatos a se ita in pravitate vitæ confirmant, & alios quoque, simplices præsertim, incitent, ut tam perverſa imitentur exempla. Animos enim addit, qui laudat, & ad paria, quin & ad deteriora manuducit. Ita autem ſeſe gerendo ſementa peccaminofa ſpargit Sacerdos, quæ poſt hujus etjam obitum meſſem ſclerum in ſuperſtitibus producant. Iſthoc ardelionum genus graviter depingit ipſe Deus, eosque condemnat Heſech. XIII. 18. 19: *Sic ait Dominus JEHOVA: Væ illis, qui conſuunt pulvillos pro omnibus axillis brachiorum populi mei, & qui parant conſibulas pro capite cujusque ſtaturæ ad venandum animas: animas venamini in populo meo, & animas vobis vivas conſervatis. Et profanatis me apud populum meum pro pugillis bordei & fruſtulis panis, morte adficiendo animas, quæ non morerentur, & victuras prædicando animas, quæ non ſunt victuræ, mentiendo apud populum meum, qui auſcultat mendacio.*

§. VII.

Quum duplex omnino detur ratio, qua in actiones aliorum influere poſſumus, ſcilicet partim per exempla, partim per dogmata, quorum hæc docent, quid homines facere debeant, illa autem monſtrent, quid facere plerique ſoleant; igitur ſi vel illa vel hæc perverſa fuerint, ex ipſis larga etjam peccatorum meſſis poſt mortem quandoque exiſtere poteſt. Habent hæc in ſe exempla, ut oſtendant, non tantum quid facere poſſint homines, ſed etjam quid facere omnino debeant, ſi aliorum æſtimationem ſibi conciliare ac conſervare velint. Quo itaque altiori in loco quis fuerit poſitus, aut etjam quo majorem vitæ morumque integritatem muneris ratio a quopiam poſtulaverit, eo magis ſollicite in eo elaborabit, ne perverſa vitæ ratione quemquam offen-

dat. Valet heic quod scite quondam cecinit JUVENALIS:

*Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.*

Quum igitur Sacerdotes probe norint, quod a Sanctissimo Numine missi sunt, ut aliis præluceant; necesse est ut morum candore suam probent & vocationem & missionem. Secus si fiat, si verbi Divini Præcones recte quidem doceant, sed perverse tamen vivant, non dissimiles sunt architecto, qui una manu ædificat, altera autem mox destruit opus a se confectum. Immo hi sunt, qui lingua exclamant præcepta salutifera, pedibus autem ad locum condemnatorum temere properant. Exemplis quibusdam in medium prolatis res fiet adhuc clarior. Ponamus dari tales verbi Divini ministros, qui gravissimum sibi demandatum munus leviter curant, & provinciam suam taliter qualiter administrant, nonne periculum est, ne auditores, qui vident & audiunt, ipsos in re quam maxime seria nugari, hinc sibi occasionem facile sument, sua etiam munera pari incuria peragendi. Quod quidem malum sensim adeo late serpit, ut tandem cultus Divinus ejusque zelus, qui continuo fervesceret, in plerorumque animis frigescat, & in locum sinceræ pietatis mera ingravescat hypocrisis. Similiter si ponamus, quosdam inveniri Sacrorum præcones, qui in avaritiæ vitium toti propendeant, & qui adeo majorem opum colligendarum, quam animarum sibi demandatarum curam gerant, qui juvenes sibi conducant, ut hi statis temporibus sermones ad auditores habeant, & ipsos informationis cupidos, pro modulo & scientiæ & experienciæ instruant, ipsi interea sub prætextu ordinis in Ecclesia conservandi, res suas domesticas graviter curantes, tales quamvis rationibus omni exceptione majoribus a vitiis auditores suos deterrere contentur, parum tamen proficient, quum nihil non sibi ipsis permittant, ut opes suas indies au-
geant:

geant: avaritia enim radix omnium malorum merito audit. Hinc accidit, ut auditores vitam magis, quam doctrinam Præconis sectentur, cum imperatore VESPA-
SIANO & ductore suo sentientes, *quod ex qualibet re sit dulcis odor lucri*. Idem prorsus evenit, si Sacerdos alia vitia veluti familiaria habeat, Ebrietatem puta, Luxuriam, Superbiam &c. ut videlicet auditores eisdem profunde adeo imbuantur, ut radices eorum post obitum ejus venenatos suos fructus diu protrudant, nisi singulari Dei gratia pravitatem suam agnoscant, & ad saniorum reducantur mentem. Bene enim PRUDENTIUS
Libr. I. v. 240 seq.

----- *Sic observatio crevit,*

Ex atavis quondam male cepta: deinde secutis

Tradita temporibus, ferisque nepotibus aucta

Traxerunt longam corda inconsulta catenam,

Mosque tenebrosus vitiosa in secula fluxit.

Citant videlicet auditores de emendanda vita admoniti exempla ductorum suorum, eademque probant, quoniam genio suo conveniunt, antequam ad rationis & virtutis decempedam ipsa exigant. Et quis de hac vitiorum contagione unquam dubitaret, quum Deus ipse graviter conqueratur Jer. XXIII: 15. *Quod a Pseudo-prophetis proveniat hypocrisis, que totam terram contaminat.*

S. VIII.

Imprimis autem verbi Divini Præcones falsa & per-versa dogmata aliis proponendo; semina vitiorum spargunt, quæ diu etiam post horum seminatum mortem largam peccatorum messem protrudunt; non aliter ac Medici inepta pharmaca ægrotis propinando morborum catervam augent. Ipsum Sacerdotale munus propter in-

stitutionem ac vocationem Divinam tantam habet auctoritatem, ut multi prorsus negligant, plerique nequeant, dogmata proposita examinare; quamobrem fidem dictis Præconum habent nimis liberalem, immemores omnino dicti Salvatoris Joh. V. *Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς*. Enimvero dantur subinde Sacerdotes adeo simplices, ut sanam & veram Theologiam non intelligant, sed carbonaria fide probent, quicquid apud laudatos inveniant auctores, quibus proinde per ignorantiam accidere potest, ut auditoribus suis subinde tradant & graviter inculcent talia Religionis præcepta, quæ analogiæ fidei e diametro repugnant. Hæc tamen, tamquam totidem Divina oracula, arripiunt simplices auditores, his convenienter, præsertim si placitis aut inclinationibus suis congruant, vitam suam instituunt, & ita, loco virtutum, vitiis jugiter operantur, cujus corruptionis causa in Doctore quaerenda. Non enim singuli, qui docendi munere in Ecclesia funguntur, sunt *ἑσθιδάκται*; aut possunt verbum Divinum *ὁρθοῦμεν*. Peccant hi quidem, sed minus quam illi, qui ex proposito & data opera veritatem cælestem in reprobum sensum detorquent, qui non tam gloriam Dei & animarum sibi concreditarum salutem promovent, quam potius eo aciem & opera dirigunt, ut majorem sibi in terris auctoritatem, & lautiorem vitæ rationem comparent, strenui non pietatis, sed superstitionis ministri. Huc pertinent multi ex Ecclesia Romana Doctores, qui Laicos a lectione Scripturæ Sacræ graviter arcent sub prætextu, ne confundantur, re autem ipsa ne Hierarchiæ Pontificiæ, figmentis tantummodo hominum nixæ, sese, quum meliora ex verbo Dei didicerint, subducant; contra autem ea sibi religioni non ducunt, talibus dogmatibus auditorum suorum animos imbuere, quæ veræ Religionis præceptis sunt prorsus contraria. Et quomodo mali sub hac crisi illecebris vitiorum sibi familiari-

um nuntium mitterent, quum doceantur, partim quod Sanctissimus Deus ad quaedam peccata prorsus conniveat, partim etiam quod Harpyjis etiam parata sit salus aeterna, modo circa vitæ exitum crumenas Monachorum largiter distendant, & Ecclesias amplissime dotent. Germinant igitur talium Doctorem studiis errorum lolia in vinea Domini, & faciunt, ut peccare pergant hi tenebriones; ductores enim eorum, sunt seductores. Sed ut hos mitemus, docet insuper experientia & Historia litteraria, fuisse subinde Doctores Ecclesiæ, ambitionis æstro, quod tamen fervido pietatis zelo incrustare soleat, adeo periculis, ut dogmata, quorum gravitatem non potuerunt non agnoscere, pertinaciter defenderint, eadem sub veritatis favo auditoribus graviter propinaverint, & secus sentientes ex suggestu condemnaverint; quibus moliminibus, quum omnis doctrina ad praxin tendat, fieri aliter non potuit, quam ex corrupto adeo semine peccata non tantum Doctoribus supersticibus, sed etiam post horum obitum dense succreverint, vide *Job. Wilb. BAYERI dissertat, de ambitione hæresium causa*. Sed heic filum dissertationis nostræ aliquamdiu abrumpere cogimur, in sequentibus, si Deo O. M. visum fuerit, pariter ostensuri, quomodo in reliquis statibus nec pauciora nec leviora existant post mortem peccata.

S. D. G.



An den AUCTOR,
Werthgeschätzter Freund!

Nicht allein die ausnehmende Sorgfalt deines Liebsten Vaters, während der Zeit ich, der Ehre Seiner treuen information zu genießen, theilhaftig gewesen; sondern auch unsere eigene, von jüngeren Jahren her, gepflogene ungestörte Freundschaft, sind nur die wichtigsten Ursachen, bey Gelegenheit Deiner ans Licht tretenden ersten Academischen Arbeit, den Verweis der Unempfindlichkeit von mir, abzuleiten.

Ich kan denn nicht umbhin meine sonderbare Freude, wegen Deiner Progressen in den Wissenschaften, öffentlich zu bezeugen: wolte nur die Fäden ein so deutlicher Dolmetscher meines aufrichtigen Herzens sein, als Deine gegenwärtige artige Disputacion, ein unparteyischer Zeuge Deines unerspahrten Fleißes, rechtschaffener Mühe und lebhaften Wises, abgibt!

Du hast Dir die Tugend zum Ziel erwöhlet: fahre denn fort, den wohlverdienten Lohn derselben, je eher je lieber, zu empfangen. Eile, Deinen lieben Eltern die Früchte Ihrer wohlgegründeter Hoffnung einzubringen; in dem Du zugleich Deinen aufrichtigen Freunden, eine neue Ursache des Vergnügens, verschaffest.

Mir aber verwahre Deine wärtheste Freundschaft, des Ich, mit aller ersinnlichen aufrichtigkeit, beharre

Dein

Ergebenster Diener
und
Lands-Man.